

ieiunium. Ponamus de eodem ieiunio verba sancti Augustini ad memoratum Casulanum: 'Sabbatum, quo die caro Christi in monumento requievit, sicut in primis operibus mundi requievit Deus illo die ab omnibus operibus suis. Hinc exorta est ista in regia illa veste¹ varietas, ut alii, sicut maxime populi orientis, propter requiem significandam mallent relaxare ieiunium, alii propter humilitatem mortis Domini ieiunare, sicut Romana et nonnulli² occidentis ecclesie. Quod quidem uno die, quo pascha celebratur, propter renovandam³ rei geste memoriam, qua⁴ discipuli humanitus mortem Domini doluerunt, sic ab omnibus ieiunatur, ut etiam illi sabbati ieiunium devotissime celebrent, qui ceteris per totum annum sabbatis prandent; utrumque videlicet significantes, et in uno anniversarii die luctum discipulorum et ceteris sabbatis quietis bonum. Duo quippe sunt, quae iustorum beatitudinem et omnis miserie finem sperari faciunt, mors et resurrectio mortuorum. In morte requies est, de qua dicitur per prophetam⁵: Plebs mea, intra in⁶ cellaria tua, abscondere pusillum, donec transeat ira Domini. In resurrectione autem in homine toto, id est in carne et spiritu, perfecta felicitas. Hinc factum est, ut horum duorum utrumque non significandum putaretur labore ieiunii, sed potius refectionis hilaritate, excepto paschali uno sabbato, quod discipulorum, sicut diximus, luctus propter rei geste memoriam fuerat ieiunio prolixiore signandus. Sed quoniam non invenimus, ut iam supra commemoravi, in evangelicis et apostolicis litteris, quæ ad novi testamenti revelationem proprie pertinent, certis diebus aliquibus evidenter preceptum observanda esse ieiunia, et ideo res quoque ista, sicut aliae plurimæ, quas enumerare difficile est, invenit in veste illius filiae regis, hoc est ecclesie⁷ varietatis locum. Indicabo tibi, quid mihi de hoc requirenti, responderit venerandus Ambrosius, a quo baptizatus sum, Mediolanensis episcopus. Nam cum in eadem civitate mater mea mecum esset, et nobis adhuc cathemenis parum ista curantibus, illa sollicitudinem gereret, utrum secundum morem nostrae civitatis sibi esset sabbato ieiunandum, an ecclesiae Mediolanensis more prandendum; ut hac eam cunctatione liberarem, interrogavi hoc supradictum hominem Dei. At ille, Quid possum inquit, hinc docere amplius, quam ipse facio? Ubi ego putaveram nihil eum ista responsione precepisse, nisi ut sabbato pranderemus; hoc quippe ipsum facere sciebam; sed ille secutus adiecit: Quando hic sum, non ieiuno sabbato; quando Rome sum, ieiuno sabbato, et ad quamcumque ecclesiam veneritis, inquit, eius morem

1) 'vesci' Hs. Vgl. Ps. 44, 10. 2) 'nonnullae' August. 3) 'eandam' Hs. mit Rasur vor und nach dem e. 4) 'quia' Hs. 5) Isai. 26, 20. 6) 'in' fehlt Hs. 7) 'ecclesia' Hs.